

divinarum Pandectis vel demonstrari vel explicari posset. Hac vice dum præsentis tempore passionali *Jesus Christum, eumq; crucifixum*, piis meditationibus celebrat non inconvenienter Ecclesia, omnis Academia devotissimas *Χριστολογίας lucubrationes* suis collationibus destinat, cum primis in occasionibus solemnioribus, quales sunt publicæ Candidatorum Theologiæ disputationes & exercitationes. Postquam igitur per divinam clementiam hæc gratia coelestis mihi contigit, ex gratæ mentis devotione *materiam Christologiam* feligere, & in honorem *Seminis Mulieris, optimi Salvatoris, primum, idque primum Authenticum, & Catholicum Χριστολογίας salutifera Compendium* producere placuit. Ipse *Jehova Elobim* propter *Semen Mulieris* ex plenitudine Sapientiæ & Veritatis ejus seminet *cogitationes & meditationes salutares* in mente, *salutares* pariter *elocutiones*, omnis generis *benedictiones ex Semine Benedicto, Fonte Benedictionis omnigenæ* in chartas & fructuosas collationes per & propter SEMET IPSUM! Cui soli sit omnis Gloria & Benedictio!

II.

Quod igitur *felix, & faustum* sit, & *Semini Mulieris* maxime *gloriosum* initium nostræ tentationis ab argumento vel *objecto primario*, & ex titulo potissimum illud vel explicamus vel illustramus; Cum *titulus* plerumque summam tractationis respiciat, qua ratione diximus, quod de *primo vereque primitivo simul authentico & catholico Christologias salutifera Compendio* nobis in Paradiso destinato firmus acturi. *DEus ex alto benedicat labori!* Describitur hoc *Objectum Principale* partim *ratione quidditatis*, partim *ratione proprietatis*, partim *ratione salutifera utilitatis*, quæ breviter notabimus & illustrabimus. *Quidditas*
duo